



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 81. Arnaldus Sorbonæ Doctor e gremio Facultatis ejectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

dus subscriberet, quod tamen ceteris Sæc. XVII.  
 haud probabatur; inde vero acres con- A. C. 1655.  
 citabantur altercationes, eoquod Ar-  
 naldistæ tam arctum temporis spatium  
 sibi fuisse indultum quererentur: ve-  
 rum Cancellarius, qui denuo Sessioni  
 die vigesima quarta Januarii habitæ in-  
 tererat, præscripto tempori insisti vo-  
 luit: unde Arnaldi fautores, præter  
 quatuor, una omnes abiere, nec ultra  
 subsequens Sessionibus interfuerunt:  
 ipse quoque Arnaldus die vigesima sexta  
 ejusdem Mensis coram Notariis decla-  
 rabat, quod justis de causis Facultatis  
 conventum pro legitimo habere non  
 possit, „cum in illo Theologis suas opi-  
 niones probandi libertas, præter alia  
 „vitia insanabilia, fuisset denegata, ad-  
 „versus ergo omnia hucusque gesta &  
 „gerenda reclamet, & meliori modo  
 „adversus ea sibi prospicere intendat. „  
 Insuperhabita hac Arnaldi oppositione,  
 die vigesima nona Januarii, centum vi-  
 ginti septem Doctores, ac tres Episcopi  
 secundam Arnaldi propositionem esse  
 temerariam, impiam, hæreticam, ac  
 anathemate damnatam censuerunt, non  
 nisi novem Doctoribus eandem tuen-  
 tibus.

§. LXXXI.

*Arnaldus Sorbonæ Doctor e gremio  
 Facultatis ejedus.*

Q 3

Pro-

Sæc. XVII. **P**ronuntiata, typisque edita hac cen-  
 A. C. 1655. sura congregati Doctores decrevere

*Argentre  
 coll. Jud.  
 t. 3. p. 68.*

Arnaldum e Facultatis gremio esse ex-  
 ciendum, atque Doctorum albo ex-  
 pungendum, nisi intra quindecim die-  
 rum spatium Facultatis censuræ se-  
 submiserit, eamque suo chirographo  
 comprobaverit; Hanc in rem Facultas  
 die ultima Januarii sequens edidit de-  
 cretum: „Optaret sane, et ex animo  
 „optaret sacra Facultas, prædicti Ma-  
 „gistri Antonii Arnaldi damnata do-  
 „ctrina, personam servari, quippe  
 „charissimam, tanquam filium Mater  
 „& eam in rem sæpe ipsum per amicos  
 „hortata est, ut veniret ad Comitium  
 „Matri se subjiceret, ejuraretque  
 „sua & pestilentem doctrinam, idcirco  
 „cum ea sentiret, *Et unanimes atque*  
 „cum ea corde *Et ore honorificaret Deum*  
 „*Et Patrem Domini nostri Jesu Christi*  
 „Veram non modo amantissimæ pare-  
 „ntis suæ consilia & hortamenta con-  
 „tempserit, sed etiam die vigesima septima  
 „mensis præsentis mensis per Apparitores  
 „Regium eidem Facultati significavit  
 „se pro irrito ac nullo habere, quod  
 „quid ipsa in re præsentis egisset, actum  
 „que esset.,

„Quare eadem Facultas ipsum  
 „sinu suo repellendum, expungendum  
 „que ex albo Doctorum suorum, atque  
 „a corpore suo plane reseccandum cen-  
 „suræ fuit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1655.

„fuit, & ipso facto repulsum, expun-  
 „ctum, resectumque declarat, nisi in-  
 „tra diem decimum quintum mensis  
 „Februarii proxime sequentis mentem  
 „suam mutaverit, & huic præsentî Cen-  
 „suræ subscripserit coram Domino De-  
 „cano, Illustrissimis Episcopis, Doctori-  
 „bus, & prædictis Deputatis. Ac ne  
 „longius serpat superior illa Arnaldi  
 „doctrina, & quasi lues, quæ jam mul-  
 „torum animos occupavit; eadem sacra  
 „Facultas decrevit, neminem posthac  
 „aut e Doctoribus ad Comitiam, & alia  
 „quælibet jura ad ipsam pertinentia,  
 „aut e Baccalaureis ad ullos actus Theo-  
 „logicos, sive ad disputandum, sive ad  
 „respondendum, aut e Theologiæ Can-  
 „didatis ad supplicandum, ut vocant,  
 „pro primo cursu, vel de Tentativa re-  
 „spondendum, admissum iri, nisi antea  
 „huic quoque Censuræ subscripserit.  
 „Atque etiam, si quis Arnaldi supe-  
 „riora illa probare, asserere, docere,  
 „prædicare, scribereve sit ausus, eum  
 „ab eadem Facultate prorsus repellen-  
 „dum esse. „

„Decrevit insuper hanc Censuram  
 „suam prælo mandandam, & publican-  
 „dam esse; ut omnes intelligant, quan-  
 „tum eadem Facultas pestilentem &  
 „exitialem illam doctrinam excretur  
 „ac detestetur. ACTUM Parisiis in  
 „Facultatis Theologicæ Comitiiis gene-  
 „rali-

Sæc. XVII. „ralibus apud Sorbonam die ultima  
A. C. 1655. „Januarii, anno Domini millesimo sex-  
 „centesimo quinquagesimo sexto & con-  
 „firmatum die prima Februarii ejus-  
 „dem anni. „

Hoc decretum unacum Facultate  
 censura die prima Februarii in publica  
 Doctorum confessu fuit prælectum, con-  
 firmatum, ac demum decima octava  
 die ejusdem Mensis a Decano & a pluri-  
 quam centum Doctoribus & sex Episcopis  
 subscriptum fuit.

§. LXXXII.

*Index textuum ex Jansenii libro, in  
 quibus propositiones ab Inno-  
 centio X. damnatae.*

Quoniam vero tam Arnaldus, quam  
 ejus Amici identidem obtende-  
 rent, quod post assiduam lectionem, in  
 Jansenii libro quinque propositiones  
 ab Innocentio X. damnatas inveniri  
 non potuerint, proin Pontifex, eas  
 in hoc libro reperiri, atque in sen-  
 tentia Jansenii esse proscriptas, definire haud  
 potuerit, hinc quidam sacrae Facultatis  
 Magistri ex Jansenii Augustino indicem  
 composuerunt illorum textuum, in quibus  
 propositiones ab Innocentio X. proscriptas  
 contineri existimabant. Hujus Indicis  
 tenor est sequens:

PRO-